Hoc est translatum sumptum fideliter a quodam instrumento cuius tenor talis est. Noverint universi. Quod Ego Simon de Sigriano Campsor Ilerden, cum testimonio huius publici instrumenti, facio, constituo et ordino
certum et specialem ac et generalem procuratorem meum vos Petronum de Sigriano Campsorem Ilerden fratrem meum, licet absentem tamquam presentem, presentium procuratorii exhibitorem ad petendum, exigendum, recipiendum atque
recuperandum pro me et nomine meo, omnia et singula debita, et comandas que michi debentur et a me tenentur cum instrumentis et sine qualibet racione, a quibuscumque personis cuiuscumque condicionis sint, et ad petendum et recipiendum com
potum et compota de eisdem. Nec non ad vendendum, tradendum, et concedendum pro me et nomine meo et uxoris universa et singula bona mea et vestra, mobilia et immobilia, et quaslibet alias res quascumque habemus et habere debemus
In Civitate barchinone et eius terminis. Constituo etiam vos procuratorem meum in omnibus et singulis causis, peticionibus, questionibus et demandis motis et movendis pro me, contra quascumque personas cuiuscumque dignitatis, gradus, condi
cionis, ut status existant, et in omnibus et singulis causis, peticionibus, questionibus et demandis motis et movendis contra me, per quascumque personas cuiuscumque legis ut status sint. Et Dans et concedens vobis dicto procuratori meo in
predictis omnibus et singulis ac et infrascriptis, plenam et liberam potestatem et generalem administracionem, agendi, petendi, recuperandi, deffendendi, excipiendi, replicandi, conveniendi, componendi, contradicendi, opponendi,
transigendi, paciscendi, compromitendi, conveniendi, et reconveniendi coram quocumque Judice competenti. Et vendendi, tradendi, alienandi et concedendi, omnia et singula bona et quaslibet res vestras et meas mobiles et immo
biles, emptori vel emptoribus eandem, et precium recipiendi et emptorem vel emptores in possessione earum que eis vendiderit in possessione mittendi sive inducendi, et pro evictione et guarentia bona mea specialiter et generaliter
obligandi. Et jurandi de calumpnia seu de veritate dicenda in anima mea et subeundi cuiuslibet alterius generis juramentum, et pro alia deffendi sentencia reffendi, sive interlocutorias quam diffinitivas audie
ndi, et ab ea vel eis si necesse fuit appellandi. apostolos petendi et recipiendi. appellaciones prosequendi. Solucione et soluciones recipiendi, et de receptis apocham vel apochas sive instrumentum absolucionis et diffinicionis meo no
mine faciendi. Et substituendi alium vel alios procuratores loco vestri, ante litem contestatam et post, et eum vel eos revocandi cum cause cognicione et sine, quando et quocienscumque vobis videbitur expedire. Et omnia alia et sin
gula faciendi que potest et debet facere procurator verus et legitime constitutus, et sine quibus predicta expediri comode non valent, et que mandatum exigunt speciale, et que ego in premissis facere possem si personaliter interessem, vobis
In premissis omnibus et singulis liberam et generalem administracionem concedendo. Ratum habens semper et firmum quicquid per vos dictum procuratorem meum et substituendum ac substituendos a vobis, actum fuit in predictis seu etiam procuratum ac si a
me personaliter esset factum. Et relevans vos dictum procuratorem meum et substituendum ac substituendos a vobis ab omni honere satisdandi, promitto notario infrascripto nomine omnium quorum interest vel interesse poterit a me legitime stipulan
et recipien. Judicatum solvi cum suis clausulis universis sub ypotheca et obligacione omnium bonorum presencium et futurorum, me pro vobis et substituendo ac substituendis a vobis fideiussorem nomine obligando. Quod est actum, pridie Idus augusti
anno domini Millesimo. Trecentesimo. Quartodecimo. Signum Simonis de Sigriano predicti qui hoc concedo et firmo. firmarique rogo. Signum Guillermi basseti mercatoris. Signum Jacobi de comenge campsoris Ilerden
testium. Signum mei Dorrazii ça sala notarii publici Ilerden qui hoc scripsi et clausi et predictis interfui.

Signum Petri de Caua Roches notarii publici barchinone.

Signum Jacobi Ferrarii notarii publici barchinone.

Signum Ferrarii de villafrancha vicarii barchinone et vallesii, qui huic traslato sumpto fideliter ab originali suo non cancellato non viciato nec in aliqua sui parte suspecto, ex parte domini Regis et auctoritate officii quo fungimur, auctoritatem impendimus et decretum. ut ei tamquam originali suo
fides plenaria ab omnibus impendatur. Appositum per manum mei Bernardi de cubis notarii publici barchinone Regentis scribaniam Curie vicarii eiusdem Civitatis in cuius manu et posse dictus vicarius hanc firmam fecit, tercio nonas novembris anno domini Millesimo. CCC. XV.
presentibus testibus. Petro de rosero jurisperito. Bernardo de pasita et Guillermo de rujars. Et ideo ego Bernardus de cubis notarius predictus hec scripsi et hoc meum. Signum hic apposui.

Signum Berengarii Gomar notarii publici barchinone. qui hoc translatum auctenticum sumptum fideliter a suo originali instrumento et cum eodem de verbo ad verbum legitime comprobatum, scripsit et clausit, septimo Idus
novembris anno domini Millesimo. Trecentesimo. Quintodecimo. cum litteris suppositis in linea sexta, ubi scribitur, et.

Perg. 156

P. 5.